

lib. I. *Juris ecclesiast. univ.* cap. XXI. n. 62. insuper Nicol, Garciam, Ricciolum, et Trulench. Ratio est; quia tempus ipsum a jure statutum sufficienter monet, ac pro facienda fidei professione interpellat. arg. cap. ult. *de Locato.* cum concordantiis ibidem a Glossa allegatis.

180. *Et probare se eam emisisse, quando desuper inquiritur.* — Addendum alterius, quod quando ordinarius super facta professione fidei ex officio inquirat, teneatur provisus, ut supra, probare se eam fecisse. Ratio est: quia facta non presumuntur, nisi probentur, arg. l. 1. c. *de Probation.* ac fuse ostendit cardinalis Tuschus, tom. III. litt. F. Concl. 10 et Barbosa, Axiomat. 93. num. 27. Facta quippe ex sui natura sunt incerta, l. *in omni.* ff. *de Juris et facti ignorant.*, et cap. 1. *de Constit.* in 6. Nihilominus quod credatur jam esse emissam, si provisus asserat, sese professionem fidei jam fecisse, simulque collatio beneficii fuerit decennialis, censent multi doctores, quos citat et sequitur Barbosa, d. cap. XXI. n. 69. et Castro Palao d. punct. 19. num. 12. Nam facta antiqua sunt difficilioris probationis: simulque nullo jure tenetur quis professionem fidei facere coram nullis.

181. *Dicta professio fidei, an possit fieri per procuratorem? Ponitur sententia negativa.* — Queritur V. An sæpe dicta professio fidei possit fieri per procuratorem? Negant non pauci, ut Stephanus Gratianus, *Disceptat forens.* cap. CLXVI. n. 22. Diana, part. 5. *Resolut. mor.* tract. XIV. resol. 23. Ugolinus *de offic. et potest. episc.*, cap. v. § 16, num. 1. et alii. Quinimo Nicolaus Garcias, cit. part. III. n. 75. et seqq. attestatur, ita tenuisse Rotam: atque additio ad consilia Navarri, lib. II. Consil. 12. *de Jurejurand.* in fine, refert, sacram congregationem censuisse, id fieri non posse. Ratio hujus sententiæ negativæ esse potest: quia professio fidei videtur esse actus personalis, eo quod sit protestativus interioris assensus; simulque ea talem professionem ecclesia intendat provisus de beneficiis specialiter stabilire in vera fide catholica. His tamen non obstantibus.

182. *Probabilior censetur sententia affirmativa.* — Resp. Probabilior est ejusmodi professionem fidei posse fieri non solum per se sed etiam per procuratorem, cum speciali tamen mandato ad hoc constitutum. Ita Barbosa, lib. I. *Juris ecclesiast. univ.*, cap. 21. n. 57. Sanchez, d. cap. v. num. 7. Castro Palao, d.

punct. 19. num. 10. Tamburinus, tom. I. *de Jure abbat.*, disp. 8. q. 3. n. 11. Azorius, *Leodesma*, aliique plures. Ratio est: quia regulariter ea, quæ quis potest facere per seipsum, potest facere per alium, nisi lege, vel canone impediatur, aut fuerit electa industria personæ arg. cap. ult. § *Is autem de offic. delegat.* juncta L. 1, ff. *de Procurat. ac Reg.* 68. *Juris*, in 6. ibi: «Potest per alium, quod potest facere per seipsum.» Et reg. 72. *Juris* in 6. ibi: «Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum.» Atqui neque concilium Tridentinum, neque bulla Pii IV utuntur verbis significantibus personalitatem actus, seu prohibentibus interventum procuratoris; ergo. Accedit, quod in can. *Optatum.*, dist. 100. satis aperte approbetur usus procuratoris in emittenda professione fidei, dum inter alias causas negati Vuliberto Agrippiensi episcopo pallii etiam hæc recensetur, quod nec aliquem, qui hanc (fidem suam) jurejurando firmaret, miserit.

183. *Potest quis jurare per alium.* — Nec urgent rationes in oppositum. Non prima: nam posse quem jurare per alium, ad hoc speciale mandatum habentem. haud obstante, quod juramentum sit actus protestativus interioris assensus. præter jam allegatum can. *Optatum*, dist. 100. ulterius patet ex can. *Tibi Domino*, dist. 63. juncta Glossa ibid. §. *Et jurare*, et can. *Metuentes*, 17. q. 5, et c. *In pertractandis; de Jurament. caelum*, cum similibus. Nec secunda: nam ex eo, quod per professionem ecclesia intendat provisus specialiter stabilire in fide, colligitur quidem convenientia faciendi professionem personaliter, ac in propria persona, non autem necessitas hujus: siquidem principalis seu provisus de beneficio; satis intelligitur obstrictus, atque stabilitus in fide catholica, quam alter de speciali suo mandato, atque in animam suam profitetur, ac jurat; prout hoc ipsum accidit, in juramentis illis, quæ fiunt per procuratorem cum speciali mandato, atque in animam principalis jurantem.

184. *Respondetur ad decisionem Rotæ, declarationem cardinalium in contrarium allegatam.* — Neque etiam urget decisio Rotæ, aut declaratio cardinalium. Nam imprimis de hac authentice non constat, neque additio ad cit. concilium. 11. Navarri, ullam facit mentionem de tempore, quo ipsa facta fuit. Deinde dici potest, oppositam sententiam atque declarationem cardinalium, si quæ ex-

tat, procedere, si procurator non habeat speciale mandatum ad faciendum nomine alterius professionem fidei: nos autem loquimur in casu dati desuper specialis mandati. Et tunc posse fieri professionem fidei per procuratorem, tenet Rota in *Varmien. canonicatus*. 13. julii. 1608. coram illustriss. card. Sacrato: ubi etiam dicitur, speciale mandatum ad hoc censi datum, non solum, quando datur expressum ad faciendam professionem fidei, sed etiam ex mandato ad capiendam possessionem dignitatis, vel canonicatus.

185. *Respondetur ad decisionem Rotæ et declarationem cardinalium in contrarium allegatam.* — Et sciendum, quod hæc decisio Rotæ per Barbosam, d. cap. XXI. nu. 56. citata, sit posterior altera per Garciam, cit. part. III, cap. III, n. 75. et seqq. allegata, unde hæc per aliam limitatur, atque declaratur. Quod si tamen revera extet declaratio sac. Congregationis concilii Tridentini interpretum, resolventium, quod professio fidei nequeat fieri per procuratorem, etiam speciale mandatum ad hoc habentem, eidem penitus erit acquiescendum, si in forma authentica exhibeatur. Hanc tamen extare nondum agnoverunt auditores Rotæ in sua posteriori decisione: hi enim sac. Congregationis declarationibus (quarum exactam præ cæteris cognitionem habent), omnimodis deferre, atque obsequi consueverunt.

186. *Num allata doctrina sit limitanda in Episcopis?* — Allatam doctrinam Sanchez, loc. cit., n. 7. limitandam censet in episcopis, negatque, ipsos per procuratores posse emittere professionem fidei; et addit idem sensisse duos viros doctissimos, a se consultos. Movetur ex verbis bullæ apostolicæ, committentis certo episcopo, ut prædictam professionem fidei nomine ipsius pontificis acceptet, addita hac causa: «Ne propter hoc ad Sedem apostolicam, accedendo personaliter, laborare cogatur: volentes parcere laboribus, et expensis, fraternitati tuæ committimus,» etc. Nam hæc ratio non procederet, si episcopus professionem fidei præstare posset per procuratorem.

187. *Num allata doctrina sit limitanda in Episcopis?* — Cæterum, licet ex allatis verbis recte colligatur, quod papa supponat, Episcopum personaliter emissurum præscriptam in Pontificali professionem fidei, saltem ex decentia: ac proin huic obligationi, ex decentia, seu convenientia suborta, parcere

velit committendo alteri vices suas. Nihilominus obligatio stricta, et inducens nullitatem actus, si fiat per procuratorem, ex verbis illis non satis colligitur, prout etiam Castro Palao, cit. punct. 19. num. 11. Atque inter varios casus vitæ humanæ, locorumque distantiam, facile contingere potest, quod episcopus etiam illam personaliter accedens nequeat, cui papa vices suas pro receptione professionis fidei commisit. Unde duos quondam episcopos per procuratorem emisisse professionem fidei, refert ipsemet Sanchez, loc. cit., quamvis factum eorum improbare conetur.

§ IX.

DE PŒNIS BENEFICIARIORUM OMITTENTIUM FACERE PROFESSIONEM DEBITAM FIDEI.

188. *Concilium Tridentinum obligat beneficiarios, ut supra, sub mortali ad faciendam professionem fidei.* — Queritur I. Quæ generatim pœnæ sint impositæ clericis beneficiariis, qui omittunt facere debitam professionem fidei? Resp. I. Decretum concilii Tridentini, n. 137. allegati, obligantis provisos de beneficiis curatis quibuscunque aut canonicatibus et cathedralibus, ad faciendam professionem fidei, obligat sub mortali. Ita Sanchez, lib. II. *in Decalogum*, cap. v. n. 1. Bonacina, disp. 3. *de Fide*, q. 2, punct. 3, num. 14. et 15. et alii; adeo, ut hoc tanquam certum tenendum esse asserat Castro Palao. tract. IV, disp. 1. *de Fide*, punct. 19, n. 2. Ratio est: quia præceptum illud est de re gravi, et ad gravissimum finem ordinata, qualis est exaltatio fidei catholicæ, hæresumque suppressio; simulque sub verbis obligatoriis, ut puta, *teneantur*, pœnisque gravissimis impositum.

189. *Tamen ratione ignorantie, inadvertentiae, vel oblivionis potest quis excusari a mortali.* — Intellige, nisi quis a mortali excusetur ratione ignorantie, inadvertentiae, seu oblivionis. Nam sicut in aliis materiis, ita et in proposito, potest inadvertentia, atque oblivio inculcata excusare a mortali culpa, utpote ad quam requiritur plena advertentia, et perfectus consensus. Exemplum hujus refert Navarrus Consil. 12. *de Jurejur.* de aliquo clerico, qui adeptus ecclesiam parochialem per ignorantiam, incogitantiam, vel inadvertentiam non fecit professionem fidei usque ad sesqui annum: in quo ratione sus-

cepti doctoratus eam emisit : quem clericum proinde citatus Navarrus, super casu isto post plures annos interrogatus, consolatur, dicens, quod nec mortaliter peccaverit coram Deo, et quoad forum conscientiae nec obligetur ad restituendos fructus.

190. *Beneficiarii non facientes fidei professionem* Fructus non faciunt suos, etc. — Resp. II. Ultra peccatum, quod provisi de praefatis beneficiis, et professionem fidei intra duos menses a die adeptae possessionis non emittentes incurrunt, alia poena ipsis a concilio Trident., loc. cit. imposita habetur, quod « Fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur. »

191. *Haec poena non procedit de distributionibus quotidianis.* — Et haec quidem poena imprimis intelligenda est de fructibus beneficii, sive intuitu ipsius acquisitis; non autem de distributionibus quotidianis, nam haec cum dentur ratione ministerii sacri, ac servitii personalis, propter omissam professionem fidei nequam amittuntur. Barbosa, part. III. de offic. et potestat. episcopi, allegat. 61. n. 30 Azorius, part. II. lib. 7. cap. II. q. 3. Garcias, pluresque alii. Et sacram Congregationem sic censuisse, referunt Ugo- linus, de Offic. et potest. episcopi, cap. L. § 16. n. 5. Gonzalez ad reg. 8. Cancellar. § 6. Procem. num. 170. ac alii. Et tenuit Rota in *Varmiensis canonicatus*, 28. aprilis. 13. junii. et 4. februarii 1611, coram illustriss. card. Sacrato.

192. *Limitatur.* — Excipe, nisi omnes redditus beneficii consistant in distributionibus: tunc enim, ut poena in concilio Tridentino statuta aliquid operari possit, et in aliquo verificari, debet intelligi de distributionibus. Barbosa, lib. I. cap. XXI. *Jur. Ecclesiast. univ.*, n. 74. post Ricciulum, cit. lib. I. cap. XIII. n. 55.

193. *Neque de fructibus primorum duorum mensium, sed de fructibus postea primum decurrentis.* — Deinde memorata poena est intelligenda de fructibus illis, qui post lapsum duorum mensium tali Beneficiario caeteroquin deberentur, seu decurrerent; non autem de fructibus decursis primo illo bimestri nam sive talis postea faciat professionem fidei, sive nunquam ea faciat, fructus primorum duorum mensium (nisi aliud quid obstat, e. g. continua absentia provisi a beneficio) remanent proviso. Barbosa, cit. allegat. 61, n. 23. Sanchez, d. cap. v, n. 10. Castro Palao, n. 14. Garcias cap. III. n. 31, et alii.

Quia enim provisus absque culpa poterat differre professionem fidei usque ad ultimum diem primi bimestris : hinc concilium noluit eum privare fructibus pro primo illo bimestri decursis, sed postea primum decurrendis, sive percipiendis post lapsum duorum illorum mensium, quo in culpa fuit non faciendo professionem fidei.

194. *Et hac, etiamsi postea beneficiarius emittat professionem fidei.* — Caeterum dicta poena quoad fructus praeteritos procedit etiam in eo casu, quo beneficiarius ex post facto fidei professionem omisit : haec siquidem professio post duos illos menses facta, etsi prosit ad acquirendos fructus temporis futuri, nequam tamen suffragatur ad quaerendos, sive recuperandos fructus temporis praeteriti, seu decursos post lapsum primi bimestris usque ad tempus emissae professionis. Barbosa cap. XVIII. de *Canonicis*, num. 23. allegans decisionem Rotae in *Ovetensis mercedis*, 12. decembris 1605. Sanchez, loc. cit., num. 5. Navarus Consil. 11, num. 3. de *Jurejurand.* Azorius, tom. II. *Instit. Moral.*, l. VII, cap. II. q. 4. et 5. et alii. Ratio est, quia fructus praeteriti, jam semel sunt deperditi; ac proinde amplius recuperari non possunt. Nam regulariter, quae semel ipso jure perditae sunt, non quaeruntur, arg. can. *Quam periculosum*. 7. q. 1. et 1. *Qui res suas*, § *Aream ff. de Solution.* ibi : « In perpetuum enim sublata obligatio restitui non potest. »

195. *An beneficiarius, non faciens debitam fidei professionem, teneatur restituere fructus sui beneficii ante omnem sententiam judicis? Pars affirmativa probatur.* — Quaeritur II. An, qui ob omissam intra bimestre professionem fidei fructus beneficii non fecit suos, ita eos perdidit, ut in conscientia teneatur ipsos restituere ante omnem sententiam judicis? Affirmant haud improbabiler Azorius, part. II. l. VII. cap. II. q. 1. Nicol. Garcias, part. III. de *Benefic.*, cap. III. n. 35. Ledesma, tom. II. *Summae*, tract. I. cap. IV. concl. 10. diff. 1. et nonnulli alii. Rationem dant : tum quia talis, juxta Tridentinum, fructus non fecit suos; ergo teneatur eos, veluti rem alienam, restituere ante omnem sententiam; tum quia Tridentinum, loc. cit. addit, quod talibus « nec possessio suffragetur; » ergo nullo titulo potest in conscientia illos fructus retinere : alioquin enim multum eisdem suffragatur possessio. Accedit quod clerici beneficiarii, omittentes

recitare Horas canonicas, teneantur in conscientia fructus beneficii pro rata omissionis restituere ante sententiam declaratoriam judicis; ut patet ex decreto Alexandri VII, 1665, emanato, ubi propositionem (ordine 20.) oppositum asserentem, damnavit : idem ergo dicendum in proposito. Siquidem concilium Tridentinum beneficiariis injungens privationem fructuum ob omissam professionem fidei, non aliis utitur verbis, quam quibus utitur sanctus Pius V, in bulla, quae incipit, *Ex proximo* (et habetur tom. II. *Bullar. Rom.*, Constit. 133, d. Punct.) ubi juxta salubrem sanctionem proximi Lateranensis concilii, dictam restitutionem fructuum injungit clericis beneficiariis, omittentibus recitationem Breviarii, dicens, quod « beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis officii, et temporis, suos non faciant. » His tamen non obstantibus,

196. *Pars negativa censetur probabilior, ac varie probatur.* — Resp. Probabilius est, quod omittentes professionem fidei, ut supra, non teneantur fructus beneficii sui restituere, donec sequatur sententia declaratoria judicis super crimine admissio. Ita Navarrus, consil. 12, n. 1. de *Jurejur.* allegans Glossam notabilem in c. *Fraternitas*. 12. q. 2. §. *Cum argumento.* circa fin. Castro Palao, d. punct. 19. n. 16; Rodericus, tom. II. *Quaest. regul.*, quaest. 72, art. 4; Sanchez, d. cap. v, n. 10; Barbosa, cit. alleg. 61, n. 28. et alii plures. Ratio est, quia decretum concilii Tridentini est poenale; ergo, quantum fieri potest, benignius interpretari debet. c. *Odia*, de *Reg. Juris*, in 6. cum concordantiis : atqui potest commode sic interpretari, ut velit, quod quis fructus beneficii non faciat suos, neque ei suffragetur possessio, post secutam sententiam declaratoriam judicis; ergo.

197. *Pars negativa censetur probabilior, ac varie probatur.* — Confirmatur. Quando concilium Tridentinum, aut alia jura volunt statim in foro conscientiae obligare ad restituendum fructus beneficiales non expectata sententia judicis, solent uti non illis dumtaxat verbis, « Fructus non faciant suos, » sed aliis longe gravioribus : ut patet ex eodem concilio Tridentino, sess. 23. cap. I. § *Si quis autem*, de *Reform.* ubi volens obligare episcopum, ac beneficiatum curatum debite non residentem, ad fructus in foro conscientiae statim restituendos, non expectata sententia judicis, statuit, « eum pro rata temporis absentiae fructus suos non facere, nec (N. B.) tuta

conscientia, alia etiam declaratione non subsequuta, illos sibi detinere posse. » Similia verba habentur etiam in Extravag., *Ambitiosae*, de *Rebus Ecclesiae non alien.* Et quod plus est, etiam beatus Pius V, in cit. Bulla *Ex proximo*, ad declarandum clericos beneficiarios statim in foro conscientiae teneri restituere fructus beneficiorum pro rata omissionis officii, non solis illis verbis utitur, « Fructus suos non faciant : » sed illico notanter, atque expresse subjungit : « Sed eos tanquam injuste perceptos, in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneantur. »

198. *Solvuntur rationes partis affirmativae.* — Et per hoc patet ad ultimam rationem, in favorem contrariae sententiae superius allatam : nam illa militat in oppositum, ut nunc ostensum est. Ad primam rationem negatur consequentia : nam decretum concilii Tridentini abunde salvatur per hoc, quod provisus, ut supra, et professionem fidei omittens, fructus non faciat suos; sed eos post sententiam declaratoriam criminis restituere teneatur, arg. c. *Cum secundum*. 19, de *Haeretic.* in 6. Nam, si voluisset tales obligare ad hoc in foro conscientiae, ac ante omnem sententiam judicis, potuisset expressisse; sicut hoc ipsum expressit in aliis. Ad alteram rationem respondetur eodem modo : quanquam, qua ratione talibus non suffragetur possessio, paulo amplius sic declarandum. Hinc

199. *Omittentibus professionem fidei possessio beneficii non suffragatur quoad fructuum perceptionem, bene tamen quoad titulum, et proprietatem.* — Quaeritur III. In quo sensu concilium Tridentinum, cit. cap. XII, sess. 24, de *Reform.* addit; quod provisi de beneficio, ut supra, et debitam fidei professionem omittentibus, « possessio non suffragetur ? » Resp. Per hujusmodi verba sanctum concilium non excludit ejusmodi provisos a possessione beneficii quoad titulum, ac proprietatem, sed impedit dumtaxat possessionis effectum quoad fructuum perceptionem. Ita Navarrus, consil. 8, de *Jurejurand.* per totum; Azorius, part. II. lib. VII. cap. II. q. 3; Garcias, part. III. de *Benefic.* cap. III. n. 33; Sanchez, cit. cap. v. n. 9, alique passim. Et ita censuisse Rotam in *Varmiensis canonicatus*. 28 aprilis, 13 junii 1608. et 4 februarii 1611, coram card. Sacrato, refert Barbosa, d. alleg. 61, nu. 26 et 27, ubi et iteratas decisiones sacrae Congregationis concilii Tridentini in favorem hu-

jus sententiæ allegat; quibus inhærendo præsens conclusio non potest dici interpretatio ejusdem concilii contra prohibitionem Pii IV.

200. *Ratio horum ulterior.* — Ratio ulterior est: quia poenæ sunt restringendæ, quantum fieri potest, non ampliandæ, c. *Odia.* et c. *In poenis,* de *Reg. juris,* in 6. ibi: « In poenis benignior est interpretatio faciendæ: ergo, cum dicta verba concilii possint commode intelligi quoad perditionem fructuum tantum, et quod possessio quoad horum acquisitionem nihil eis suffragetur, oportet eas sic intelligere. Accedit, quod concilium ibidem de sola fructuum beneficii amissione tractet, immediate præmittendo verba illa, « Fructus non faciant suos: » ergo etiam sequentia, « Nec eis possessio suffragetur, » in ordine ad eandem fructuum amissionem accipiendæ sunt, excludendo videlicet quodcumque suffragium, sive adjutorium, quod cæteroque possessio dare posset ad eosdem fructus acquirendos, v. g. via usucapionis, præscriptionis, etc. Patet consequentia: tum quia intelligentia dierum ex causis est assumenda dicendi, *Intelligentia.* 6. de *Verb. signif.;* tum quia intelligi verba debent secundum materiam subjectam, arg. c. *Solita.* § *Verum de majorit. et obed.,* ac fuse probat Barbosa, axiomat. 222, n. 8 et 9.

201. *Omittentes dictam professionem, non defenduntur regule de Annali possessore, nec præscriptione, quoad fructus retinendos.* — Inferitur proinde primo, quod tales regule Cancellariæ apostolicæ, de *Annali possessore* quoad fructus retinendos se tueri non possint imo quod nec longissima possessio eisdem prosit quoad præfatos fructus percipiendos, quamdiu professionem fidei non emiserunt. Et ita a sacra congregatione decisum fuisse refert Flaminius, lib. VIII. quæst. 9, n. 122. et Garcias, d. cap. v. n. 34. et Barbosa d. alleg. 61. n. 26. Nam talibus juxta Tridentinum possessio quoad fructuum perceptionem non suffragatur: id autem fieret, si vel regula de *Annali possessore* vel præscriptione longi temporis, quæ sine possessione non procedit, fructus sui beneficii defendere, aut recuperare valerent.

202. *Bene tamen quoad alios effectus possessionis.* — Inferitur secundo, cum ei, qui professionem fidei non emisit, possessio quoad fructus dumtaxat faciendos suos non suffragetur ut dictum est: quod talis quoad alios effectus commodo possessionis, atque cæteris juribus

ex eo provenientibus, nequiquam privetur. Et ita censuisse sacram congregationem, refert Prosper de Augustinis in addit. ad Quarantam. §. *Beneficiorum possessio,* litt. B. ac post ipsum Barbosa, loc. cit., n. 27. Ex quo ulterius

203. *Et vocem in capitulo, jusque præcedentiæ.* — Inferitur tertio, quod canonicus cathedralis, licet professionem fidei nondum emisit, et vocem in capitulo, et jus præcedentiæ habeat a die adeptæ possessionis, nisi aliud obstet; prout declarasse eandem sacram congregationem refert Garcias, cit. n. 34. et Barbosa, d. n. 27. post Ricciolum, d. lib. I. cap. XVI. n. 40. et Ferentillum.

204. *Sicut et regula de Triennali.* — Inferitur quarto, quod clericus provisor de beneficio, ut supra, quamvis intermiserit professionem fidei; si per triennium pacifice possederit beneficium, ex tunc juret regula Cancellariæ *De Triennali,* ad effectum, ne super illo beneficio amplius molestari valeat. Sanchez, d. cap. v. n. 9; Castro Palao, cit. punct. 19, n. 45; Barbosa, lib. I. *Jur. Eccles. univ.,* cap. XXI, n. 79. et alii.

205. *Fructus beneficii ob intermissam fidei professionem non acquisiti, applicantur Ecclesiæ; vel pauperibus.* — Queritur IV. Cui applicandi sint fructus beneficii, ob intermissam fidei professionem a beneficiario non acquisiti? Resp. I. Licet concilium Tridentinum, cit. cap. XII. id non determinaverit, nihilominus dicendum est tales fructus esse applicandos fabricæ Ecclesiæ beneficii, si indigeat, aut pauperibus, vel alteri pio loco. Ita doctores passim, quos citat et sequitur Barbosa tum proxime, cit. cap. XXI, n. 75; tum d. allegat. 61, n. 31. Idque colligitur ex eodem concilio Tridentino, sess. 23. cap. I. § *Si quis autem, de Reform.* hoc ipsum statuente de fructibus beneficiariorum non residentium: juncto cap. III. de *Reform.,* sess. 22. ubi similes fructus fabricæ Ecclesiæ, quatenus indiget, aut alteri pio loco, arbitrio Ordinarii applicari jubentur.

206. *Fallit, si necdum sint separati a communi mensa capitulari.* — Cæterum hæc doctrina potissimum procedit in beneficiis curam animarum annexam habentibus, nec non in canonicatibus, et dignitatibus cathedralibus, quæ habent fructus distinctos, atque separatos a mensa capitulari. Aliud tamen est in canonicatibus, et dignitatibus illis, quæ non sic habent fructus distinctos, atque a mensa capitulari separatos: nam hujusmodi

fructus, si a quopiam amittantur ob intermissam fidei professionem, remanent in mensa communi capitulari, utpote a qua necdum sunt separati, sicque spectant ad capitulum, sicut fructus non residentium, aut excommunicatorum. Garcias, part. I. de *Benef.* cap. III. n. 36; Castro Palao, loc. cit. n. 19; Barbosa, d. allegat. 61, n. 31. et alii.

207. *Fructus taliter amissos non potest condonare Ordinarius loci.* — Resp. II. Ordinarius loci non potest condonare fructus beneficii amissos ob non peractam professionem fidei. Ita Garcias, d. cap. III. n. 531. referens sacram congregationem cardinalium ita declarasse. Barbosa, cit. num. 31. et alii. Siquidem ordinarius nequiquam potest remittere penam a concilio generali inflictam, nisi in casibus sibi expresse permissis: quia lex superioris per inferiorem tolli non potest, Clem. *Ne Romani,* § 1. de *Elect.* et can. *Inferior,* dist. 24. et c. *Cum inferior, de Majorit. et obed.*

208. *Sed oportet recurrere ad Papam.* — Hinc in tali casu recurrendum esse ad dominum Papam, qui solet remittere tales fructus post non factam fidei professionem, si nulla malitia intervenit, et ipsa quamprimum emittatur, notat ibidem Garcias: sicut et Barbosa, cap. XVII. de *Canonicis,* n. 23. refert, quod cum iam per sacram Congregationem grates remissa fuerint fructus præteriti, quos ob intermissam professionem fidei non fecerat suos.

§ X.

DE ERRORIBUS JOACHIM ABBATIS, ET DAMNATIONE SUI LIBELLI.

209. *Joachim abbas, quis fuerit? Ejus vaticinia, præsertim de S. P. N. Francisco et ordine ipsius.* — Queritur I. Quis fuerit Joachim abbas, et quæ ejus causa scribendi contra Petrum Lombardum? Resp. I. Joachim abbas fuit monachus ordinis sancti Benedicti, fundator monasterii Florentis, regulari institutione, et observantia salutari celeberrimi. Vixit anno Domini 1195. Et cum esset vir in sacris Litteris perdoctus, scripsit *Commentaria in Isaiam, Jeremiam, et Apocalypsin,* atque *Concordiam Testamenti Veteris et Novi.* In hoc etiam libro *Concordiæ* plura de futuris religionibus, ac præsertim de S. P. N. Francisco, atque ordine ipsius venturo, et quaquaversum per orbem dilatando, et usque ad novissima tem-

pora duraturo, multisque per ipsam præclare fiendis longe ante vaticinando prædixit; prout allegatis verbis illius refert Bartholomæus Pisanus, lib. I. *Conformitatum Fruct.* 4. § 7. *Beatus Franciscus.* Circumferuntur quoque sub ejus nomine quædam vaticinia de futuris Romanis pontificibus: sed an fidem mereantur, nonnihil dubitat Bellarminus, lib. de *Scriptoribus Ecclesiæ.* addens, quod saltem ista ad solos quindecim pontifices pertingant; ac proinde mirum sit, quod humana curiositas ad nostra usque tempora, conetur ipsa extendere.

210. *Cur is scripserit contra Petrum Lombardum, vulgo Magistrum Sententiarum?* — Resp. II. Verisimile est, quod Joachim abbas causam scribendi contra Magistrum Petrum Lombardum sumpserit ex sequentibus causis. Primo, quia licet Petrus Lombardus, episcopus Parisiensis, qui tempore Gratiani, ac circa annum Domini 1143, floruit, sententias sanctorum Patrum, atque theologorum collegerit, atque in quatuor libros apte distribuerit, ac proin per antonomasiam *Magister Sententiarum* appellari meruerit: non tamen omnia ejus dicta probarunt discipuli ejus, et successores doctores scholastici: quinimo in additione ad Magistrum typis excusa, notantur viginti sex articuli, in quibus ipse rejicitur.

211. *Cur is scripserit contra Petrum Lombardum, vulgo Magistrum Sententiarum?* — Secundo, idem Magister Petrus Lombardus apud Alexandrum papam III, fuit accusatus hæresis crimine, quasi docuisset, quod Christus, secundum quod est homo, non sit aliquid. Unde idem Pontifex Wilhelmo Senonensi archiepiscopo, in mandatis dedit ut convocatis apud Parisios suffraganeis suis, et adhibitis aliis viris religiosis ac prudentibus, prædictam doctrinam penitus studeat abrogare; et a magistris scholaribus ibidem in theologia studentibus edoceri præcipiat, Christum sicut perfectum Deum, sic et perfectum, verumque hominem esse, ex anima rationali et humana carne consistentem. Tenorem harum Litterarum apostolicarum verbatim allegat Emmanuel Gonzalez in *Comment.,* ad cap. II, h. 1. inde colligens post *Sermonem* sub Innocentio III, quod inter alios viros religiosos, ac prudentes, a memorato archiepiscopo Senonensi etiam Joachim abbas fuerit invitatus, atque stimulatus ad refutandum prædictum errorem: qua arrepta